

dragesimæ, Dominicam Passionis, Dominicam in Albis, Dominicam I post Pentecosten seu SS. Trinitatis ; — tunc cantari debet Missa de Dominica, et illius primæ Orationi adjungi, sub unica conclusione, occurrentis Festi Patroni Commemoratio ; quoad reliqua servantur Rubricæ pro Missa hujus Dominicæ, nempe quoad ritum, colore, Orationes dicendas. Et de dicta Solemnitate nihil amplius fit. (Decret. 2 Decembris 1891, n. 3754, ad 3.) Officium Patroni transfertur in primam diem liberam juxta Rubricas Breviarii.

**EXEMPLUM:** S. Gertrudis, Virgo, apud Nivigellenses celebrima, cuius Festum in Archidiœcesi Mechlinensi colitur 17 Martii, in pluribus locis Dioecesis est Patrona loci. Potest occurtere Festum in Dominicam Passionis, et necessario debet Officium transferri in primam diem liberam. Sed pro Solemnitate cantabitur Missa Dominicæ Passionis ; ast Orationi Dominicæ adjungetur sub unica conclusione Oratio S. Gertrudis ; dein dicto iterum *Oremus*, dicetur 2 Oratio Ecclesiæ, vel pro Papa. Pro reliquis dicitur hæc Missa juxta Rubricas.

3º Si Festum Patroni loci incidit in Dominicam Palmarum, aut in Festum aliquod ex solemnioribus universalis Ecclesiæ, puta Dominicam Paschatis et Dominicam Pentecostes ; — tunc celebrari debet Missa de his Dominicis ; et de Patrono nulla Commemoratio fieri potest ; neque transfertur Patroni Solemnitas, sed tantum transfertur ejus Officium juxta Rubricas. (Decret. 2 Decembris 1891, n. 3754, ad 3.)

**EXEMPLUM :** Festum S. Gertrudis, Patronæ loci, de quo supra, potest occurtere in Dominicam Palmarum, et debet Officium ipsius transferri in primam diem liberam post Octavam Paschatis. Pro Solemnitate S. Gertrudis, Patronæ, nihil fieri poterit in Missa Dominicæ Palmarum ; neque transferri potest Solemnitas, sed in casu simpliciter omittitur.

Q. 273. Quānam sunt Dominicæ in quibus, ratione Officii occurrentis Dominicæ, cantari non potest Missa Solemnitatis translatæ ? Quid in casu faciendum est ?

R. I. Ex recentioribus dispositionibus concludendum hodie est, omnes et solas Dominicæ majores 1 classis impedire celebrationem Missæ Solemnitatis translatæ. Hanc autem admittunt Dominicæ majores 2 classis, et Dominicæ per annum.

Itaque Missa Solemnitatis cantari non potest in sequentibus Dominicis : Dominicæ I Adventus ; Dominicæ I Quadragesimæ ; Dominicæ de Passione ; Dominicæ in Palmis ; Dominicæ Paschatis ; Dominicæ I post Pascha (in Albis) ; Dominicæ Pentecostes ; Dominicæ I post Pentecosten (SS. Trinitatis).

Insuper in casu æquiparantur Dominicis primæ classis Dominicæ in quibus incurront vel Vigilia Nativitatis Domini (24 Decembris), vel Festum Circumcisionis Domini (1 Januarii), vel dies Octava Festi Epiphaniæ (13 Januarii). (Cfr. Decreta 2 Decembris 1891, n. 3754, ad 4 ; et 6 Martii 1896, n. 3890, ad 2.)

Dubium quod hucusque remanserat quoad Dominicæ de Passione, I post Pascha, et I post Pentecosten, non amplius existit, ex quo S. Rituum Congregatio declaravit in his Dominicis eas Solemnitates celebrari non posse. Insuper Decretum 13 Septembris 1840 (n. antiqu. 4910, ad 4), quo permisum fuerat, in Dominicis I Adventus et I Quadragesimæ, pro Solemnitate colenda Orationem Patroni addere sub unica conclusione Orationi Missæ harum Dominicarum, in nova Decretorum Collectione anno 1898 edita non amplius refertur.

II. In tali casu Missa Solemnitatis transfertur ulterius, scilicet in proximiorem Dominicam sequentem non impeditam.

**EXEMPLA :** I. S. Gertrudis, Virgo, cuius Festum in Archidiœcesi Mechlinensi colitur 17 Martii, in pluribus locis Dioecesis est Patrona loci. Anno 1899, hoc Festum occurrit Feria VI post Dominicam IV Quadragesimæ. Juxta regulam traditam, Solemnitas Festi Patronæ loci transferenda est in Dominicam proxime sequentem ; sed anno 1899, hæc Dominicæ est Dominicæ de Passione, major 1 classis, quæ non admittit Missam Solemnitatis. — Hucusque in his locis celebrata fuerat in casu hæc Missa ; sed post Decreta citata, anno 1899 fieri non potuit, et in posterum fieri non poterit. Missa Solemnitatis igitur transferenda est in primam Dominicam sequentem non impeditam : jamvero, anno 1899, sequuntur post Festum quatuor Dominicæ Missam Solemnitatis impedientes : Dominicæ de Passione, in Palmis, Paschatis, et I post Pascha, omnes majores 1 classis ; et prima Dominicæ libera, admittens Missam Solemnitatis, est Dominicæ II post Pascha, 16 Aprilis ; in hac igitur, integro mense jam post Festum 17 Martii, celebranda est Missa Solemnitatis translatæ Festi S. Gertrudis, Patronæ loci.

Diceres, an in tali casu non liceret Missam Solemnitatis anticipare, eamque celebrare in Dominicæ IV Quadragesimæ ? Ad

hoc licite faciendum requiritur Indultum speciale, quod pro nostra Dioecesi non existit. — Concessa fuerunt hujusmodi Indulta, ut patet ex Decreto *Quebecen.*, 6 Martii 1896 (n. 3890, ad 1); sed applicari non possunt nisi ab iis quibus concessa fuerunt.

2. S. Amandus, Episcopus et Confessor, cuius Festum in Archidioecesi Mechliniensi colitur 6 Februarii, Patronus loci est in pluribus Dioecesis locis. Anno 1894, Dominica proxime sequens post Festum erat Dominica I in Quadragesima: eo anno potuit, (nondum publicato Decreto citato), S. Amandi Solemnitas transferri in hanc Dominicam, et pro Solemnitate colenda Missa hujus Dominicæ cantari, juncta Oratione S. Amandi, sub unica conclusione, Orationi Dominicæ; in posterum vero, in eo casu, quia Dominica I in Quadragesima impedit Solemnitatem, debet Solemnitas transferri in Dominicam sequentem, nempe II in Quadragesima; et in ea tunc cantabitur Missa Solemnitatis de S. Amando, in colore albo, facta Commemoratione Dominicæ, sub distincta conclusione, et dicto hujus Dominicæ Evangelio in fine.

(Cfr. Quæstiones in Conferentiis ecclesiasticis Archidiocesis Mechliniensis agitate, anno 1897. De Liturgia, Q. III. — Collationes Brugenses. II, 1897, pag. 234 et sqq.)

Q. 274. *Quid faciendum est, si in Dominica, in quam transferenda est Festi Solemnitas, occurrat Festum aliquod duplex I classis.*

R. Festa quatuor quorum transfertur Solemnitas sunt primaria; etenim in Catalogo Festorum, quæ ex Decreto S. Rituum Congregationis, 27 Augusti 1893, ut primaria retinenda sunt, ut talia annotantur. (Cfr. Tractatus de Officio divino, Q. 109.) Hanc qualitatem retinet Missa Solemnitatis horum quatuor Festorum.

Quando in illa Dominica, in quam transferenda est Solemnitas, celebratur aliquod Festum duplex I classis, est quasi si occurrerent eadem die duo Festa duplia I classis; animadvertisendum itaque venit, quænam sit qualitas et dignitas utriusque occurrentis, ut dignoscatur an Missa Solemnitatis celebrari possit, an vero transferri ad sequentem Dominicam debeat.

I. Si Festum duplex I classis quod celebratur in Dominica est secundarium, profecto poterit in hac Dominica cantari Missa Solemnitatis Festi, quia primarium est, et ideo prævalet.

EXEMPLUM: Supponitur S. Georgium, Martyrem, cuius Festum colitur 23 Aprilis, esse Patronum loci. Anno 1901, Domi-

nica proxime sequens Festum S. Georgii erat Dominica III post Pascha, in qua celebratur Festum Patrocinii S. Joseph, quod in nostra Dioecesi est ritus duplicit I classis; sed hoc Festum est secundarium; prævalet ergo Missa Solemnitatis Festi S. Georgii, Patroni, quod est primarium; et hac die cantari debet Missa Solemnitatis S. Georgii, cum Commemoratione solius Dominicæ, sed non occurrentis Festi Patrocinii S. Joseph, et Evangelio Dominicæ in fine (cfr. Q. 271, 3<sup>o</sup>, 5<sup>o</sup>).

II. Si Festum duplex I classis quod celebratur in Dominica est etiam primarium, quia utrumque occurrens jam est ejusdem ritus et qualitatis, si tunc Festum quod celebratur est personæ dignioris, quam Festum cuius Missa Solemnitatis est celebranda, prævalet Festum in Dominica celebratum, et Missa Solemnitatis non potest cantari, sed debet transferri ad sequentem Dominicam. (Decreta 2 Decembris 1891, n. 3754, ad 5; et 20 Junii 1899, n. 4040.)

EXEMPLUM: Supponitur S. Laurentius, Martyr, cuius Festum celebratur 10 Augusti, Patronus alicujus loci. Anno 1897, 10 Augusti est Feria III, et Solemnitas S. Laurentii, Patroni, occurrat præcise in Dominicam, 15 Augusti in qua celebratur Festum Assumptionis B. Mariæ V., primarium; sed cum Festum Assumptionis majoris sit dignitatis quam Festum S. Laurentii, non poterit in Dominicam diem, 15 Augusti, transferri S. Laurentii Solemnitas; erit ergo transferenda in Dominicam sequentem, in diem 22 Augusti.

III. Si Festum duplex I classis quod celebratur in Dominica est primarium, sed personæ minus dignæ quam Festum cuius Missa Solemnitatis est celebranda prævalet Missa Solemnitatis, et celebratur in hac Dominica. (Decreta supra citata ad II.)

EXEMPLUM: Festum Nativitatis S. Joannis Baptiste celebratur 24 Junii; si dies 24 Junii est Dominica, et in Feria V præcedente occurrisset Festum SS. Corporis Christi, hujus Solemnitas transferenda in Dominicam sequentem, celebranda venit in Festo S. Joannis Baptiste; cum autem hoc Festum minoris sit dignitatis quam Festum SS. Corporis Christi, profecto poterit in Dominicana, in qua celebratur Festum S. Joannis Baptiste, celebrari Missa Votiva solemnis de Solemnitate SS. Corporis Christi.

IV. Si Festum duplex I classis quod celebratur in Dominica, est ejusdem qualitatis et dignitatis, quam

256 (Q. 275) De Missis in Solemnitatibus

Festum cuius Missa Solemnitatis in hac Dominica foret celebranda; tunc celebratur Festum occurrens juxta Rubricas; Solemnitas vero transfertur in proximiorem Dominicam non impeditam. (Decret. 2 Decembris 1891, n. 3754, ad 5.)

Exemplum ad hunc casum pro nostra Diœcesi non se offert.

Q. 275. *Quomodo agendum est, quando duæ Solemnitates in eamdem Dominicam occurrunt transferendæ?*

R. Solemnitas celebranda est de digniori, et transferenda est ad Dominicam subsequentem Solemnitas de minus digno. (Decret. 2 Decembris 1891, n. 3754, ad 6.)

**EXEMPLUM.** Ubi S. Joannes Baptista est Patronus loci, quando ejus Festum, 24 Junii, occurrit Feria II, et Sabbato sequenti, 29 Junii, Festum SS. Petri et Pauli celebratur, jam in Dominicam, 30 Junii, occurrunt transferendæ Solemnitates duæ S. Joannis Baptistæ, tamquam Patroni loci, et SS. Petri et Pauli. Dignitate præstat S. Joannes Baptista supra SS. Petrum et Paulum: ideo in Dominicam, 30 Junii, transferenda erit Solemnitas S. Joannis Baptistæ, et Solemnitas SS. Petri et Pauli transfertur in Dominicam subsequentem, 7 Julii.

**NOTA.** In civitate Mechlinensi sæpius occurrunt transferendæ in Dominicam I Julii duæ Solemnitates, nempe SS. Apostolorum Petri et Pauli, et S. Rumoldi, civitatis Patroni. Pro hoc casu speciale Indultum a Sede Apostolica fuit concessum, die 1 Septembris 1838, scilicet: in Ecclesia Metropolitana cantatur Missa Solemnitatis S. Rumoldi, ut in ejus Festo, cum Commemoratione Solemnitatis SS. Apostolorum Petri et Pauli, quorum Oratio, ex Missa Festi 29 Junii, conjungitur Orationi S. Rumoldi, sub unica conclusione; nulla fit Commemoratio; dicitur Præfatio Apostolorum, et in fine Missæ dicitur Evangelium S. Joannis: *In principio.* Ita fit quia celebratur Missa conventualis de Festo occurrente.

In omnibus aliis Ecclesiis et Oratoriis publicis Civitatis Mechlinensis, Missa solemnis cantatur de Solemnitate SS. Apostolorum Petri et Pauli, ut in eorum Festo; et Orationi SS. Apostolorum additur, sub unica conclusione, Commemoratio S. Rumoldi, ut in ejus

De Missis in Solemnitatibus (Q. 276) 257

Festo; deinde, sub distincta conclusione, dicitur Commemoratio Dominicæ; dicitur Præfatio Apostolorum, et in fine Evangelium Dominicæ.

Bene advertendum est, ita fieri in Civitate Mechlinensi tantum, vi præfati specialis Indulti, quod non extendi valet ad alia loca Diœcesis, quorum S. Rumoldus est Patronus; in his, juxta responsum ad Quæstionem datum, Solemnitas S. Rumoldi, minus digni, transferenda est omnino ad Dominicam sequentem, et Dominicæ I Julii fit tantum Solemnitas de digniori Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Q. 276. *Quando Officium Patroni loci, ob occurrentiam Festi, alteriusve Officii prævalentis, transferri debet ultra sequentem Dominicam, an tunc etiam Festi Solemnitas ultra hanc Dominicam reponenda est?*

R. Negative; id est: data translatione Officii Patroni loci, e proprio die ad diem liberum, ultra Dominicam quæ diem proprium proxime sequitur, non ideo transfertur Solemnitas Patroni; sed remanet celebranda in prima libera Dominicâ quæ proprium Festi diem proxime sequitur; etiamsi Festum nondum fuerit liturgice quoad Officium et Missam celebratum. Si vero Dominicâ ista ex iis esset quæ Solemnitatem non admittunt, hæc ulterius etiam est transferenda, sed, ut patet, hæc Solemnitatis translatio non pendet ab Officii translatione.

**EXEMPLUM.** Supponitur S. Georgium, Martyrem, cujus Festum celebratur 23 Aprilis, alicubi esse Patronum loci. Anno 1889, occurrit, 23 Aprilis, Feria III infra Octavam Paschatis: hæc Octava adeo est privilegiata, ut nullum Festum, etiam ritus dupliciti classis admittat; itaque Officium S. Georgii, Patroni, debet transferri in primum diem liberum, qui, anno 1889, habetur 11 Maji, Sabbato post Dominicam II post Pascha.

Officium Solemnitatis S. Georgii, Patroni, debet cantari in prima Dominicâ post Festum, id est, post diem proprium Festi; anno 1889, Dominicâ proxime sequens hunc diem est Dominicâ in Albis, quæ, ut dictum fuit Q. 272, hanc Missam non admittit; proinde recurrentum est ad Dominicam sequentem, II post Pascha, 5 Maji; in ea occurrit Festum duplex S. Pii V, Papæ et Confessoris, et in eam transferri potest, et transferenda est Missa Solemnitatis S. Georgii, Patroni, etiamsi Officium S. Georgii nondum fuerit dictum, et sit transferendum post 5 Maji,

258 (Q. 277, 278) De Missa in Adoratione perpetua

nempe, ut dictum supra fuit, in diem 11 Maji. En ergo casum, in quo Solemnitas fuit celebrata, antequam Officium Patroni fuerit dictum.

Q. 277. In quibus Ecclesiis et Oratoriis celebranda est Missa Solemnitatis translatae?

R. Missa Solemnitatis translatae celebrari debet in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, collegiatis, parochialibus, et conventionalibus, nisi in conventionalibus regularium et monialium contraria vigeat consuetudo; et etiam in Oratoriis publicis, in quibus solet Missa cantari in Festis; sed haec Missa celebrari non potest in aliis Oratoriis, sive publicis, sive privatis. (Decret. 22 Julii 1848, n. 2974, antiq. n. 5137, ad 4 et 5.)

Placet describere sequens S. Rituum Congregationis Decretum: Ad dubium: "An idem Indultum pro Ecclesiis concessum comprehendat etiam Oratoria tum publica tum privata? Et quatenus negative ad secundam partem, imploratur gratia extensionis ad Oratoria privata Collegiorum, Hospitiorum et aliarum Communitatum, juxta prudens Ordinarii judicium in singulis casibus?" S. Congregatio respondendum censuit: "Quoad quaestionem: Indultum comprehendere tantum Oratoria publica; quoad postulatum, Non expedire." (Decret. 6 Martii 1896, n. 3890, ad 7.)

III. De Missa Votiva occasione Precum XL Horarum, necnon Adorationis Perpetuae.

Q. 278. Quid intelligitur per Preces XL Horarum? Quae sunt earum quoad Missam privilegia; et quae est requisita conditio privilegiorum?

R. I. Nomine Precum XL Horarum designantur Preces publicae cum Expositione SS. Sacramenti, quae per quadraginta successivas horas, numquam interruptas, tribus diebus instituuntur, servata forma tradita in Instructione Summi Pontificis Clementis XI, diei 21 Januarii 1705, ultimo edita a Cardinale Sanctitatis Suæ Vicario generali, die 1 Septembris 1736. (Referatur haec Instructio in Tractatu de Administratione Sacramentorum, Q. 188.)

De ejus origine et incremento conferantur quae ex Benedicti XIV Institutione ecclesiastica XXX, et ex

De Missa in Adoratione perpetua (Q. 279) 259

Gardellini Commentariis notata reperiuntur in Tractatu de Administratione Sacramentorum (Q. 187).

II. Ad presentem rem nostram additur, quod in his Precibus, seu in hac Oratione XL Horarum, ut communiter vocatur, Missa pluribus gaudet privilegiis.

Privilegia quoad Missam sunt sequentia:

1º Tam in Expositione, primo die, quam in Repositione, tertio die, cantari potest una Missa Votiva solemnis, de SS. Sacramento.

2º Die secundo Expositionis cantari potest una Missa Votiva solemnis, pro Pace, vel alia, a Summo Pontifice, aut arbitrio Episcopi prescripta.

III. Animadvertisendum est, quod haec quoad Missam privilegia concessa sint tantummodo hac conditione, dummodo haec Oratio ad amussim juxta Instructionem Clementinam peragatur, et etiam nocte non interrupatur; nam ubi Instructio non observatur, privilegia pro Missa non sunt concessa, sine speciali Indulso S. Sedis, uti declaravit S. Rituum Congregatio. (Cfr. Decret. 12 Septembris 1840, n. 2814, ad 3, antiq. n. 4897, ad 6.)

Quum vero in permultis locis Expositio et Adoratio SS. Sacramenti per quadraginta horas continuas, etiam nocte non interruptas, fieri non consueverit; sed tribus diebus immediate succendentibus, dempta nocte, peragi solet, ad formam, ut dicunt, Precum XL Horarum, ideoque Clementina Instructio ad amussim non servetur; idcirco in hujusmodi Expositionibus, Missam Votivam solemnem de SS. Sacramento, aut aliam cantare non licet, sine Indulso speciali S. Sedis. (Cfr. Tractatus de Administratione Sacramentorum, in Notis post Q. 188.)

Q. 279. Quid notandum est circa Adorationem perpetuam, in nostra Diocesi institutam? Quid per Indultum speciale concessum fuit? An hoc Indultum applicari potest aliis Expositionibus, quamvis solemnibus, quae per annum fiunt?

R. I. Adoratio perpetua quae, in die ab auctoritate diocesana pro singulis Ecclesiis et Oratoriis assignato, instituitur, ita ut uno tantum die, et etiam per noctem,

260 (Q. 280) De Missa in Adoratione perpetua

in singulis Ecclesiis perduret, per se nullum habet privilegium pro cantanda Missa Votiva SS. Sacramenti in Festo duplici et Officio æquivalente.

II. Per speciale Indultum, 11 Decembris 1862, a S. Rituum Congregatione Diœcesi nostræ concessum fuit privilegium, vi cuius, in hac Adoratione perpetua, Missa solemnis unica cantari potest Votiva SS. Sacramenti, ut in Precibus XL Horarum, servatis Rubricis. — Cfr. Litteræ Emi Dni Card. Sterckx, Archiep. Mechlin., mensis Octobris 1862, ad parochos, etc., de Adoratione perpetua restauranda; et ejusdem Epistola 15 Januarii 1863, qua Adoratio perpetua in Archidiœcesi ordinatur (Litteræ Pastorales, Tom. III (V), pag. 601 ad 638); necnon historica Nota de Adoratione perpetua in Dicecesi nostra, in Tractatu de Administratione Sacramentorum (Q. 187).

III. In omni alia Expositione SS. Sacramenti, et Adoratione, etiamsi fiat tribus succendentibus diebus, quæ peragitur, vel ex instituto aut associatione, vel ex pia fundatione, vel ex alia quavis causa, etiamsi sit cum processione conjuncta, non permittitur Missa Votiva privilegiata dicto Indulto concessa; at, si Rubricæ eo die Missam Votivam privatam admittant, tunc possunt in ejusmodi Expositionibus Missæ Votivæ de SS. Sacramento celebrari, sed modo et ritu Missæ Votivæ privatæ.

Q. 280. Quomodo ordinanda est hæc Missa Votiva de SS. Sacramento, quæ per præfatum Indultum concessa est?

R. Hæc Missa est Votiva solemnis, seu potius privilegiata, de SS. Sacramento; — sumitur Missa de SS. Sacramento, quæ describitur inter Votivas, in quinta parte Missalis (cfr. Q. 37); non autem Missa de Festo SS. Sacramenti, nisi infra Octavam ejusdem Festi; — cantatur cum *Gloria*, *Credo*; — in ea omittenda est quælibet Commemoratio et Collecta Missæ conformis Officio tali die currenti (Decret. S. Rituum Congregationis, 18 Maii 1883, n. 3574, antiq. 5871, ad 5); — dicitur Præfatio de Nativitate; — et in fine semper dicitur Initium Evangelii S. Joannis: *In principio*. — Numquam vero in hac Missa Votiva dici potest Se-

De Missa in Adoratione perpetua (Q. 281) 261

quentia *Lauda Sion* (cfr. QQ. 139, 249, 262), nisi infra Octavam Festi.

EXEMPLA. E Directorio anni 1899 describuntur sequentia Festa et Officia:

2 Januarii, Feria 2, Octava S. Stephani, Protomartyris. Duplex. In Missa fit Commemoratio Octavarum S. Joannis et SS. Innocentium.

5 Januarii, Feria 5, Vigilia Epiphaniæ, Semiduplex. In Missa dicitur 2 Oratio S. Telesphori, Papæ et Martyris. 3 *Deus, qui salutis*. Non dicitur *Credo*.

18 Januarii, Feria 4, Cathedra S. Petri Romæ. Duplex majus. In Missa fit Commemoratio S. Pauli, et S. Priscæ. *Credo*. Præfatio Apostolorum.

22 Januarii, Dominica III post Epiphaniam, Festum Sanctæ Familiae Jesu, Mariæ, Joseph. Duplex majus. In Missa dicitur Commemoratio Dominicæ, et SS. Martyrum Vincentii et Anastasii (semiduplicis simplificati). In fine dicitur Evangelium Dominicæ.

17 Februarii, Feria 6 (post Cineres), S. Spineæ Coronæ D. N. J. C. Duplex majus. In Missa dicitur Commemoratio Feriæ (majoris in Quadragesima). *Credo*. Præfatio de Cruce. In fine dicitur Evangelium Feriæ.

16 Aprilis, Dominica II post Pascha. De ea. Semiduplex. In Missa dicitur 2 Oratio B. Mariæ V. *Concede*, 3 *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

19 Julii, Feria 4, Festum S. Vincentii a Paulo, Confessoris. Duplex.

In omnibus istis diebus, si occurrat Adoratio perpetua, unica et invariabilis servatur regula: Cantatur unica Missa Votiva de SS. Sacramento: *Cibavit*; in qua dicitur *Gloria*; et unica Oratio SS. Sacramenti, nulla facta Commemoratione occurrentium Officiorum, nequidem Dominicæ, aut Feriæ majoris; *Credo*; Præfatio de Nativitate; in fine dicitur Initium Evangelii S. Joannis: *In principio*, et non de Dominicæ, aut Feria majori occurrente.

Q. 281. Quinam dies prohibent Missam Votivam per Indultum concessam; et quid faciendum est istis diebus?

R. I. Hanc Missam prohibent:

1º Dominicæ omnes 1 et 2 classis;

2º Omnes dies in quibus, juxta Kalendarium tam universale, quam particulare illius Ecclesiæ in qua fit Expositio, occurrit Festum duplex 1 et 2 classis;

3º Feria IV Cinerum, et Feria II, III, IV Majoris Hebdomadæ; a mane autem Feriæ V ad mane Sabbati Sancti, a prædicta Expositione omnino est cessandum.

4º Octava Epiphaniæ, Paschæ, et Pentecostes. —

**262 (Q. 281) De Missa in Adoratione perpetua**

Infra Octavam SS. Corporis Christi, Missa cantatur de eadem Octava, cum Sequentia *Lauda Sion*, absque Commemorationibus et Collectis.

5º Vigiliæ Nativitatis Domini, et Pentecostes.

II. — A) In his Dominicis, Festis, Feriis, Octavis, et Vigiliis exceptis, canenda est Missa diei currentis, in qua color paramentorum Altaris erit quidem albus, sed color paramentorum Celebrantis et Ministrorum convenire debet Festo, vel diei de quo Missa celebratur; non enim licet ratione Expositionis adhibere pro prædictis paramentis colorem album, si Missa alium colorem requirit, ut declaravit S. Rituum Congregatio, Decreto 29 Januarii 1752 (n. 2417, antiq. 4223, ad 3). In hac Missa dicitur Oratio SS. Sacramenti, sub unica conclusione cum Oratione Missæ, omissis quibuscumque Collectis et Commemorationibus. (Cfr. Q. 94, Nota.)

B) In Feriis tamen IV Cinerum, et II, III, IV Majoris Hebdomadæ, in Missis propriis harum Feriarum non omittitur Oratio super populum ad Postcommunionem. — Insuper notatur quod in his Feriis tonus ferialis, et simplex ferialis, in cantu Orationum, Præfationis, et *Pater noster* sit adhibendus. (Decret. 18 Maii 1883, n. 3574, antiq. 5871, ad 5.)

C) Quod si Festum aliquod 1 vel 2 classis occurrat in Dominicæ, tunc, dictis primo loco, sub unica conclusione, Orationibus Festi et SS. Sacramenti, ut supra, secundo loco, sub distincta conclusione, fit Commemoratio Dominicæ, et dicitur ejus Evangelium in fine Missæ. (Decret. 18 Maii 1883, n. 3574, antiq. 5871, ad 5.)

Si quis peteret, quare in hoc casu Commemoratio sit facienda Dominicæ, ejusque Evangelium dicendum in fine, cum in responso ad Q. 280 dictum fuerit, in Missa Votiva de SS. Sacramento omittendam esse quamlibet Commemorationem, ergo etiam illam Dominicæ, et in fine semper dici Initium Evangelii S. Joannis; responderi potest: Missam Votivam, de qua in responso ad Q. 280, esse omnino extra ordinem Officii, quæ proinde nullam cum eo relationem habet; in præsenti casu vero, Missam celebrandam de Festo duplice 1 vel 2 classis esse Officio diei conformem, in qua numquam omittitur Commemoratio Dominicæ.

**De Missa in Adoratione perpetua (Q. 281) 263**

(Cfr. Q. 76, II.) — In Decreto citato agitur tantum de Commemoratione Dominicæ; eamdem rationem valere dici potest pro Feria majore et pro die Octava, de quibus, in casu occurrentiæ Festi duplicis 1 vel 2 classis, etiam, sicuti de Dominicæ, fieret Commemoratio sub distincta conclusione: sunt enim tales quarum numquam Commemoratio omittitur. (Cfr. Q. 76, II.)

Quæ in responsis ad QQ. 280 et 281 exponuntur, breviter quotannis notantur in Directorio, seu Ordine Officiorum, inter Prænotanda, de quibusdam Missis Votivis, III.

NOTA. I. Libet hic animadvertere, quod ea quæ supra dicuntur de Commemoratione SS. Sacramenti, ratione Expositionis pro Adoratione perpetua, applicanda sunt unicæ et soli Missæ solemini, aut cantatæ, quæ celebatur loco Missæ Votivæ de SS. Sacramento impeditæ. In omnibus aliis Missis his diebus celebratis, etiam ad Altare Expositionis, sive sint solemnæ, aut cantatæ, sive sint privatæ, pro Commemoratione SS. Sacramenti expositi omnino observari debent regulæ traditæ QQ. 93 et 94.

EXEMPLA. E Directorio anni 1899, pro diversis casibus supra positis solvendis, desumuntur sequentia Festa et Officia, in quibus supponitur occurre Adorationem perpetuam:

I. — 1º. 19 Februarii, Dominica I in Quadragesima, 1 classis. De ea, Semiduplex. In Missa dicitur Commemoratio S. Bonifacii, Episcopi et Confessoris (duplicis simplificati, Officii Dicecesani), 3 Oratio *A cunctis*. Præfatio Quadragesimæ.

SOLUTIO: Cantatur Missa solemnis de Dominicæ I in Quadragesima. Color paramentorum Altaris est albus, Celebrantis et Ministrorum est violaceus. Non dicitur *Gloria*. Orationi Missæ de Dominicæ additur, sub una conclusione, Oratio SS. Sacramenti. Omittuntur omnes Commemorationes in Missa de Dominicæ præscriptæ. Dicitur *Credo*. Præfatio Quadragesimæ.

In omnibus aliis Missis, ad quodcumque Altare Ecclesiæ celebratis, dicitur Commemoratio SS. Sacramenti, quarto loco, post Orationem *A cunctis*. (Cfr. Q. 94.)

2º. 1 Julii, Sabbato. Festum S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, Patroni Archidieesis. Duplex 1 classis. In Missa dicitur Commemoratio diei Octavæ S. Joannis Baptistæ, *Credo*. Præfatio Apostolorum (ratione Octavæ SS. Petri et Pauli).

SOLUTIO: Cantatur Missa solemnis de Festo S. Rumoldi. Color paramentorum Altaris est albus, Celebrantis et Ministrorum est rubeus. Orationi S. Rumoldi additur, sub una conclusione.